

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLI. ad annum CCCCLXXV.

Parisiis, 1644

XII. Vt pœnitentia conuersis omnibus pateat, & pro episcopi æstimatione
venia concedatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14887

LEO
P.I. ANDEGAVENSE. VALENTIN. MARCIANVS }IMPP. 445
ANNO CHRISTI 453.
copulati, diaconi vel presbyteri ordinentur.

XII.

Pœnitentiæ sane locus omnibus pateat, qui conuersi errorem suum voluerint confiteri. quibus, perspecta qualitate peccati, secundum episcopi æstimationem erit venia largienda.

Quod ita inter prædictos viros pari consilio & ordinatione decretum est, ut si quis ex ipsis contra hanc ordinationem agendum esse præsumperit, obuius fuisse regulæ ecclesiasticæ iudicetur: aduersus quem ceteris fratribus suis, quasi aduersus contemptorem, licebit exurgere.

NOTÆ IACOBI SIRMONDI
SOCIETATIS IESV.

* *Concilium.*] Collatum est cum tribus exemplaribus, Engolismensi Tiliano, Foslatensi, & Pithœano: ex quibus quæ minime dubia erant, in contextum de more conieccimus. Titulos vero, vbi corrupti aut mutili videbantur, alias substituimus.

* *Tum si qui tradendis.*] Rectius, opinor, manuscripti, qui hoc membrum hinc diuellunt, & cum sequenti Canone copulant.

NOTÆ SEVERINI BINII.

* *Concilium.*] Hoc Concilio disciplina ecclesiastica, licentia quædam viuendi corrupta, in meliorem statum reformata fuit. Pater Fronto Ducæus societatis Iesu presbyter dignissimus, & professor in Galliis doctissimus, e temporum obscuritate vindicatum per annales illustrissimi cardinalis Baronii in lucem primus emisit. Apud Baronium desiderantur capita Canonum, quæ magno commodo vniuersæ ecclesiæ idem pater Fronto ad nos transmisit, dum hoc ipsum Concilium prælo committeremus. Scribit se hæc exhibere ex manuscripto codice reuerendissimi domini Ioannis Filii episcopi Meldensis. Varietatem lectionis ex codem codice collectam, suis locis addidimus. Rogo vt si plura huius generis ecclesiæ profutura habeantur, in appendice quadam vniuersali ad finem quarti tomii addenda communicentur.

* *Andegauense.*] Sic dictum a ciuitate quadam Galliæ Lugdunensis, quæ hodie Latine Andegauum, Gallice Angers appellatur.

* *Anno Christi 453.*] Quarto Nonas Octobris sub clarissimi viri Oplionis consulatu, qui cum anno Christi 453. Leonis 14. Marciani 4. & Valentiniani imperatoris 29. coincidit. Hæc acta Concilii testantur.

Kkk iii